

1509 rissent, intra dies XV. ad Senatum referrent; atque is ea pœna, quam Senatus probavisset, plecteretur. atque ut proximis comitiis præfектus classis ejus loco legeretur, etiam perlatum: lectusque est Antonius Tronus templi Marcii procurator: quo præfecturam respuente, quod non esset rebus maritimis assuetus, comitia Petrum Balbum Patavii magistratum sublegerunt. qui quidem Balbus antequam Patavio decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina utebatur, ipsamque filiam, scelere per indicium delato, comprehendendi jussit, fassosque securi ambos percussit, igne patris cadaveri etiam supposito. Ad hæc, ut aliquando Julii iracundiæ finis fieret, Senatus sæpe consultus, sæpe amplius consuli jussus, tandem censuit, ut legati reipublicæ Romæ qui erant, tabulis ab Julio traditis, quibus indignissimæ conditio-nes reipublicæ imponebantur, scribendo adessent: ut juri scilicet, quod in sinu Adriatico antiquitus respu-blica obtinuerat, ab omnibus, qui eo mari navigent, exigendi, pro eorum tantum naviis, qui Romani Pontificis imperio subeßsent, & eo mari navigarent; quodque in Ferrariæ dominatu, quam aliquando in suam potestatem redegisset, permultos annos habuerat; quod-que ullo unquam tempore in Flaminia oppidis eis fuisset, reipublicæ nomine cederent: eamque contra rem Romanam fecisse faterentur, veniamque suppliciter pe-terent. Ea res quod vi siebat, Senatui nulla libere de-cernendi potestate relicta, tot regibus hostibus, tot rei-publicæ oppidis bello captis, retentis ab Julio in urbe sex legatis summa dignitate & nobilitate civibus, tum illis qui e Flaminia in vinculis ad illum sunt perducti ipius interdicto, cui tamen jampridem paruerant sati-fque fecerant, etiam nunc urgente: minus molesta Pa-tribus fuit, minusque ei rei, ne fieret, obstiterunt; illud animis atque sermonibus diu multumque repeten-tibus: vi atque injuria coactis ab hominibus quod fit, pro infecto haberis consueuisse: itaque & naturæ, & gentium & civili jure & legibus omnium populorum es-

VI. kal.  
januar.

III. kal.  
januar.